



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canon. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput VII. Quomodo erecta ædificia ex lignis quodam modo minùs justè
acquisitis per incendium in cineres sint redacta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

Paderbornæ tunc temporis morabatur, idcirco hi, qui pramemorati infirmi singularem curam gerere videbantur, timuerunt eundem infirmum absque Ecclesiæ Sacramentis ab hac vita migraturum. Sed quid factum fuerit audiatur: nam ille infirmus (quia sanus in vita sua B. MEINULPHUM præcipue honoravit) jam in infirmitate constitutus meruit, ut quædam mulier in lecto ægritudinis suæ assistens divinitus inspirata S. MEINULPHUM sic invocans exorabat: ut prædicto infirmo saltem suis precibus tamdiu apud DEUM vitam suam prolongare mereretur, donec Ecclesiæ Sacramenta suscipere; qua invocatione facta dictus infirmus de infirmitate suâ levius se habere sentiens in DEO lætabatur, amici tamen, & consanguinei ejus de tali virium suarum aliquali resumptione minus contenti volentes eum securum esse per munitionem Ecclesiæ Sacramentorum, nuntium ad viciniorum Parochiam, videlicet ad oppidum *Byren*, mittentes Sacellanium in dicto necessitatis articulo ad se venire petunt, qui nuntio negotium sibi exponente celeriter ad infirmum visitandum properavit, ab illo jam coram infirmo præsentem de Venerabili Sacramento provisum est infirmo, quibus sic Ecclesiastico more peractis dicto Sacellano adhuc præsentem infirmus migravit ad Dominum, & quis non crederet, quòd infirmo dicto meritis B. MEINULPHI impetratum fuerit, ut in infirmitate constitutus antea mori non potuisset, nisi Venerabile Sacramentum suscipere,

C A P U T VII.

*Quomodo erecta adificia ex lignis quodam modo minus justè
acquisitis per incendium in cineres sint redacta.*

ERat Militaris quidam in *Hiddefen* propè Villam *Heriberamen*, qui hominibus redditus annuos jure debitos ad Monasterium B. MEINULPHI deportare volentibus inhibuit, & omni arte, & astutia bonâ & redditus sibi donari allaboravit, quinimò dictos Regulares quodammodo coëgit, ut agros & sylvam ad dictos Regulares pertinentes pro paucis nummis ipsi reliquerint. Quapropter Militaris hæc iniquè sibi adscribens in dicta Villa *Herberamen* novum

vum extruxit Castrum, illudque amplis & profundis fossis munivit, quia autem nullum malum impunitum manet, inimici Militaris dicti nocte quadam supervenientes Castrum cum annexa villa injustè acquisitum per incendium in cineres redigerunt. Sicque factum fuit, ut qui antea de bonis minùs justè acquisitis lætabatur, jam Castrum suum cum villa flammis absumptum videns vehementer doluerit.

C A P U T VIII.

De Fratre, qui, quod concupivit, accipere promeruit.

IN Grangio Monasterij B. MEINULPHI, quod vulgari linguâ *Findelen* nuncupatur, nonnunquam devotus Frater nomine *Rötgerus* prædicti Monasterij Conventualis ex ordinatione sui Venerabilis Prioris ad tempus habitavit, qui, quia à suo Conventu sæpius aberat, humano more tentatione devictus mutonis carnibus cum Fratribus suis in Refectorio Monasterij vesci cupivit. Quid contigit? sequenti die cum sol jam oriri cæperat, ac portarius prædicti grangij portam aperiret, mutonem foris ante januam reperit quiescentem; hunc gaudens tanquam miraculosè transmissum grangio introduxit, ac illo per coquum interfecto ac mactato, dictus Frater, qui de mutonis carnibus edere concupivit, non solum ad sufficientiam se refecit, sed & omnes supra dictum inhabitantes grangium eum gaudio cibavit.

C A P U T IX.

Ligna Regularium devastans factus est claudus circa devastationem.

ERat quidam inhabitator Castri *Wewelsburg* nomine *Petrus*, qui, quia DEUM minime timuit, Canonorum Regularium Monasterij B. MEINULPHI sylvam introgressus in ea ligna quercina sub defensione domicellorum dicti Castri securi abscidit, ac ea ab emptoribus abduci fecit, quod damnosum factum dicti Regu-